



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Innocētio Antiquæ Romæ episcopo, quo modo legationem ad
Alarichum miserit, & de Iouio Italiae Hyparcho, & legatione ad
imperatorem facta: & quid cum Alaricho actum. Capvt VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

fulminibus ac tonitruis abacturos esse barbaros. Gloria-
batur enim ab se huiusmodi quippiam esse factum in con-
seruationem Larinæ, ciuitatis Thusciæ, quam Alari-
chus, dum Romam contenderet, prætergrediens, non
cepisset: Cæterùm istarum rerum nullum fuisse futu-
rum usum, euentus ipse declarauit. Cordatis verò hæc
ob indignationem Dei Romanis euenire videbantur,
ad eorum pœnam, quæ ipsi quondam præ nimia proter-
uita ac petulantia in ipsos & pauperes iniquè deliquis-
sent: Fertur itaque probus aliquis monachus ex his, qui
in Italia erant, Romam cum festinatione profectus Ala-
richo consuluisse, vt vrbi parceret, nec se tantorum ma-
lorum authorem constitueret, cui & Alarichus respon-
disse dicitur, se non volentem hoc tentare, sed esse quen-
dam, qui se obtundendo vrgeat, ac præcipiat vt Ro-
mam euertat. quod & ille tandem fecit: Ex eo autem
quòd urbem obsidione premeret, acceptis plurimis mu-
neribus obsidionem ad tempus soluit, pactis cum eo Ro-
manis se Imperatorem inducturos, vt ab illo in gratiam
reciperetur.

*De Innocètio Antiqua Romæ episcopo, quo modo
legationem ad Alarichum miserit, & de Iouio
Italia Hyparcho, & legatione ad imperato-
rem facta: & quid cum Alaricho actum.*

CAPVT VII.

Hanc autem ob rem legatione missa, qui Alaricho
aduersabantur in aula, pacem impediabant. Postea
cum legationem eius nomine misisset Innocentius
episcopus Romanus, reuocatus Imperatoris literis Ala-
richus Ariminum venit. quæ ciuitas ducentis ac decem
stadijs Rauenna distat. Ibi ante muros ciuitatis castra
metatum cum allocutus esset Iouius Italiæ Hyparchus,
Imperatori exponit petitionem Alarichi, & quòd oportet
cum actis publicis declarari præfectum vtriusque
exercitus. Imperator verò pecuniæ & comestus copiam
vt petierat, haud secus ac Iouio Hyparcho facit, cæte-
rùm dignitatem quam petebat, se illi nunquam esse con-
cedsu-

Dd iij

cefsu-

cessurum rescripsit: Imprudenter autem Iouius in tentorijs Alarichi legatum ex aula missum præstolatus Imperatoris sententiam Barbaris astantibus recitare iussit. Nam Alarichus ob negatam dignitatem offensus, perinde ac si contumelia affectus esset, eadem hora signo tubæ dato Romam contendit. Veritus igitur Iouius ne forte Imperatori suspectus esset, quasi faueret Alaricho, in temeritatem priori etiamnum grauiorem incidit, ac per salutem Imperatoris cum ipse iurauit, tum & alios quoque præfectos iurare induxit, nunquam se de pace cum Alaricho facienda quicquam acturos: At verò Barbarus non ita multo post pœnitentia ductus, significat se dignitatem iam nullam petere, quin se auxiliarem Romanis fore, si modò comiteum mediocrem, & habitationem donent locorum, qui à Romanis non magni fierent.

*De defectione Attali, & Præfecto Heracliano,
& quo modo postea Honorio supplex ad pedes aduolutus veniam consecutus sit.*

CAPVT VIII.

CVM autem legatione per episcopos quosdam facta huius rei petitione bis frustratus esset, Romam reuersus ciuitatem oppugnat, & portu ex altera parte occupato cogit Romanos vt Attalum vrbs tunc temporis Hyparchum, crearent Imperatorem: Romanis igitur ad aliud Imperium translatis, constituitur vtriusque exercitus dux Alarichus, & sororis eius maritus Ataulphus præfectus equitum, quos domesticos appellant. Attalus porrò senatu cōuocato orationem habuit prolixam ac splendidè elaboratam, qua senatui promittebat, se patria omnia illi cōseruaturū, & Aegyptum insuper & vniuersum Orientis imperium Italis subiecturum: sed ille vtcumque sese iactitaret ne integro quidem anno Imperator vocandus erat: Atqui tamen à vatibus quibusdam excantatus, pollicitantibus ipsum Africam sine pugna obtenturum, ne Alaricho quidem obtemperabat, suadenti vt modicam manum Carthaginem transmitteret, ad
interfi-